

De Iphigeniae Aulidensis auctore et fati.

Pars II.

Quid mihi agendum sit in hac altera disputationis parte, non uno prioris capituli loco a me indicatum est. Cum enim concesserim, Iphigeniam Aulidensem a majore Euripide nunquam editam a minore demum doctam esse, inquirendum est, ecquas ipse ille minor Euripides composuerit ejus partes: id quod nonnullis locis admodum verisimile mihi videri significavi. Deinde cum aliquos exodi potissimum versus absurdos et aperte spurios judicaverim, unde et quando illi irrepererint demonstrandum. Denique quae passim de metrico quodam fabulae hujus correctore monui, ea imprimis argumentis erunt fulcienda. Atque ab hoc quod etiam ab Hermanni⁷⁰⁾ auctoritate aliquam habet commendationem faciam exordium.

Statuo igitur primum, Iphigeniam Aulidensem nescio quo tempore multa lectione prorsus disjectam et turbatam fuisse et pleraque ejus exemplaria tam trita, ut genuina poetae verba vix possent dignosci: deinde metricum nescio quem et ordinem versuum et metra, quae quidem ei cognita essent, restituere diligentia opera et sine ullo interpolationis consilio conatum esse: qua in restitutione passim ei accidisse, ut versus vel verba a lectoribus margini adscripta pro genuinis haberet et in fabulam ipsam reciperet, nonnunquam etiam, ut aut omitteret quaedam aut perversum statueret versuum ordinem. Quae si probabilia esse ostendero, etiam nostrorum librorum consensum minus mirabimus. A libro enim ita correcto multa esse apographa facta satis est verisimile: et in omnibus illis apographis lacunarum, quas obliteratas a metrico nostra aperuit aetas, nullum extabat vestigium. Nostri tamen libri non ad ipsum referri poterunt metrici illius exemplum, sed ad ejus apographum aliquod, in quo denuo jam librorum culpa vitia quaedam inerant, velut vss. 1589., 1599.: ipsum enim metricum simplices trimetros tam vitiose composuisse minime verisimile est.

Demonstrandum igitur primum est, totam hanc Iphigeniam nescio quo tempore prorsus disjectam et turbatam fuisse. Quod ut intelligatur, ad canticorum potissimum hodiernam conditionem animum advertamus. Haec igitur omnia fere ita sunt comparata, ut grammaticus quidem qui dicitur sensus ex omnibus eorum locis aliquo modo possit elici: metra autem tam corrupta sunt, ut plerique editores, imprimis autem Hermannus in iis corrigendis multum laboris posuerint. Quin audi, quae Dindorfius annotat ad vs. 1080. „Hujus epodi metra aliquot in locis (1080.—1084., 1089., 1090.) tam miserabilia vel potius nulla sunt, ut hanc carminis partem imperfectam reliquisse videatur poeta, perscriptis quae in metri formam redacturus erat sententiis, si fabulam absolvisset. Eandem rationem illius esse carminis puto quod a v. 1283.—1314. legitur, in quo ipso quoque non pauca sunt, quae nullam probabilem praebent metri formam, licet verba ipsa sanissima esse videantur“⁷¹⁾ et ad vss. 1300.—1306. „Ex his potissimum verbis, quae manifestum est quam parum

⁷⁰⁾ ed. praef. pag. XXXII. — libri illius antiqui, ex quo nostri codices editionesque prodierunt, insignis fuit depravatio, eaque aucta etiam ab aliquo metrorum correctore, fortasse Demetrio Triclinio, cujus manifestissima deprehenduntur mutationum vestigia.

⁷¹⁾ cf. Herm. ann. ad v. 1085.: „Quos haec epodus numeros habet, valde insoliti atque inconcinni sunt in vulgata descriptione versuum. Eos operam dedi, ut quantum fieri posset in usitatiora et magis ex artis legibus distincta membra distribuerem“ et ann. ad v. 1297.: „L. Dindorfius non sine causa haesit in metro etc.“ — Kirchhoff. ann. ad v. 1078. sqq.: „epodus corrupta nec fortasse integra. Itaque correcturis abstinere satius duxi“.

sint elaborata, intelligitur verum esse quod supra dicebam de carmine hoc a poeta non absoluto. Idem de versibus 1326.—1329. dictum volo nimia verborum copia abundantibus“. Rectissime sane iudicavit vir doctissimus, in his omnibus locis nulla prorsus inesse metra: at semper hos locos ita jacuisse, quippe quos Euripides imperfectos reliquerit, idcirco ei concedere non possumus, quia, — id quod ille negat —, doctam esse Athenis hanc fabulam constat. Quid igitur nobis relinquitur, cum omnes illos locos olim certis metris perscriptos fuisse credamus? Nihil aliud, opinor, nisi ut disjecta et turbata illis locis metra esse statuamus. — Neque hoc de paucis tantummodo, quos Dindorfius significavit, sed de permultis aliis quoque valet locis. Huc refer locos illos, quibus Hermannus⁷²⁾ antistrophicam responsionem restituit in libris nostris ita oblitteratam, ut ne lacunae quidem eam olim adfuisse prodant, velut vss. 573. sqq. — 589., nec minus eos, quibus anapaestos restituere conatus est vir sagacissimus, vss. 1620.—1627., 1634.—1637. Sed cur moror in minutiis, cum gravissima liceat afferre? Parodi alteram partem et metris et vero etiam sententiis corruptissimam esse praeclare exposuit Hermannus. At in libris nostris nullum lacunae signum invenitur. Ultimum autem, quod canit Iphigenia moribunda, canticum misere turbatum esse ingeniose agnovit Hartungus⁷³⁾. — Nihilominus in omnibus illis locis nihil legitur, quod non aliquo modo grammaticum, qui dicitur, habeat sensum. Id in tanta corruptela casu accidisse nunquam crediderim: immo in hac ipsa re agnosco grammatici manum, qui, cum metris se posse mederi desperaret, sensum saltem aliquem grammaticum restituisse satis habebat. Nonnunquam autem grammaticus ille etiam canticorum metra, quippe quae notiora ei essent, restituere conatus est. Huc pertinent, quae tantopere Hermannum offendebant in parodo illa, mirus subinde articuli usus et ἡθροῖσμένους illud parum Attice pronuntiatum.

Quodsi in lyrica fabulae parte magnae perturbationis olim nescio qua causa factae vestigia, quanquam oblitterata, haud tamen obscura cognoscuntur, num eam perturbationem diverbiis prorsus abstinuisse credemus? Mirus sane hic esset casus. At primum considerandum est, diverbiorum et sensum et numeros tam faciles esse, ut sine magno negotio a correctore agnosci et restitui potuerint. Deinde autem etiam in hac fabulae parte nonnulla resederunt illius perturbationis vestigia. Uno exemplo possum defungi. Quis non meminit gravissimae illius et praeclarae scenae, qua Clytaemnestra, detecta Agamemnonis fraude, congregitur cum eo nihil mali opinante. Advenit Agamemno, ut filiam ad sacrificium abducat: lacrimantes cum et ipsam inveniat et uxorem, nihildum de se ipso metuens quaerit, quis eam injuria affecerit. Jam Clytaemnestra respondet pro filia; oritur colloquium, quo magis magisque rex fraudem suam detectam esse agnoscit. Tandem Clytaemnestra atrocissimum illud profert vs. 1131. (Nek.)

τὴν παῖδα τὴν σὴν τὴν ἰ ζιμὴν μέλλεις κτανεῖν;

quo audito proditum se intelligens Agamemno pudore non magis quam paterno dolore devictus exclamat

ἀπολόμισθα προδέδοται τὰ κρυπτά μου.

Profecto! si hanc unam scenam haberemus Euripidis, poetae ei egregii laudem libenter concederemus. At haec ipsa scena in nostris libris prorsus turbata est. Neque nunc libet repetere, quae de his versibus sagacissime et verissime exposuit Hartungus, qui profecto restituto hujus unius scenae ordine haud mediocriter de Euripide meritis est.

Sed haec sufficiant ingentis illius perturbationis, quae aliquando hujus fabulae cantica pariter ac diverbia obtinuit, vestigia. Jam conatus quosdam ejus perturbationis et corruptelae tollendae factos esse commonstrandum est. In canticis igitur talem conatum factum esse jam supra inde suspicatus sum, quod etiam in iis partibus, quas prorsus turbatas et disjectas esse gravissimis numerorum et argumenti causis constat, ubique tamen verba ita sunt conjuncta, ut aliquis sensus oriatur: id quod omnibus illis locis casu factum esse minime mihi possum persuadere.

⁷²⁾ cf. Kirchhoff. annot. ad v. 567.: „sequentia, quae strophica aliquando fuisse consentaneum est, misere corrupta et lacera haustis lacuna post versum 575. versibus compluribus.“

⁷³⁾ praef. pag. 85., ann. ad. vs. 1462., Eurip. restit. tom. II. pag. 532.

Multo apertius autem metrici correctoris manus cognoscitur in diverbiis: siquidem trimetrorum ille formam satis cognitam habebat, quam ubique restituere posse sibi videretur. Ubi igitur maxime putas attritos fuisse trimetros? Scilicet in fine. At ingens extat in hac fabula trimetrorum numerus, quorum finis apertissimas fert interpolationis notas. Afferre libet, qui maxime moveant suspicionem.

Versu igitur 77. codices exhibent scripturam *μόρφω*, quae quomodo corrigenda sit ambigunt editores: ipsam falsam esse uno ore consentiunt. — Vs. 417. libri item consentientes exhibent *μήτηρ δ' ὀμαρτεῖ, σῆς Κλυταιμνήστρας δέμας*, in quibus *δέμας* illud perversum reliquam mutationem traxisse Hermannus recte iudicavit. — Vs. 810. libri ferunt *οὐκ ἐξ ἴσου γὰρ μένομεν Εὐρύπου πύλας*, ubi sive *προῶς* cum Hermanno sive *πέλας* cum Marklando scribendum est, librorum certe illa scriptura vitiosa est. — Vs. 819. omnes libri aperto vitio praebent *μένω πὶ λεπταῖς ταῖς δὲ γ' Εὐρύπου προῶς* pro *Εὐρύπου πύλαις*. — Vs. 919. libri *ὑψηλόφων μοι θυμὸς αἴρεται πρόσω*, ad quae Hermannus: „Non certus erat Marklandus se haec verba intelligere: in quo consentire cum eo credo, quotquot Euripides doctos nactus est interpretes. Nam pro *πρόσω*, quod non videtur ullo modo cum praecedentibus verbis conjungi posse, desideres nomen aliquod, quale est *χόλω*, similiter ut Sophocles in Oed. Regis 914. dixit: *ὑποῦ γὰρ αἴρει θυμὸν Οιδίπους ἄγαν λύπαισι παντοίαισι*. Nisi versus excidit, ad cuius sententiam vel *πρόσω* pertineret vel *πρὸς ὦν*, ut si scripsit *πρὸς ὦν πέπονθα* vel *ὑβρίσθη*. Sed tum, opinor, non *ἐπίσταται* verum *ἐπίσταμαι* dixisset. Quare quod lenissimum videbatur remedium esse praetuli, ut *προσῶν* scriberem“. Paulo aliter Hartungus, qui *πρόσω* retinens lacunam hoc loco agnoscendam esse censet. Quod licet accipias, tamen jam ex oblitterata lacuna interpolatoris operam suspicaberis. — Vs. 1034. *εἰ δ' εἰσὶ θεοὶ, δίκαιος ὦν ἀνὴρ σὺ γι* etc., ad quae Kirchhoffius: „omissum illud *σὺ γι* in B., quod vix dubitari posse puto, quin ab interpolatore versus redintegrandi causa additum fuerit, quem non uno modo patet potuisse suppleri: *σὺ δ'*, *εἰ μὲν εἰσὶν θεοὶ* Hermannus“. — Vs. 1608. formam *ἀρίπτατο* Atticis parum usitatam fuisse Porsonus monuit ad Med. vs. 1. Neque igitur Euripides sic scripsisse nec interpolator totum versum finxisse putandus est: sed cum ultima trimetri temporis injuria deleta essent, interpolator suo modo restituit. — Vs. 1623. *χρὴ δὲ σε λαβοῦσαν τόνδε μόσχον νεαγενῆ* duobus laborat vitiis metricis: primum enim vitiosus est dactylus in quinta trimetri sede, cf. Pors. praef. Hec. pag. 19.: offendit deinde vocis hypermonosyllabae ante exitum creticum syllaba producta, cf. Pors. praef. Hec. pag. 31. Ipse igitur Porsonus, quamvis spurium esse hunc versum crederet, non tamen de interpolatore ipso tam male existimabat, ut putaret eum ita scripsisse. Emendabat igitur *εὐγενῆ*. Haec Porsoni emendatio num probanda sit, non facile potest iudicari, siquidem praecedens etiam vocabulum *μόσχον* ad tollendam corruptelam a metrico videtur illatum esse, cf. Brem. l. l. — Huc pertinere etiam ille locus videtur, qui quomodo recte scribatur ex Plutarcho discimus. Cum enim in nostris codicibus vs. 407. legatur *συσσωφρονεῖν σοι βούλομ' ἀλλ' οὐ συνοσεῖν*, multo elegantius et tragicæ orationi aptius apud Plutarchum adul. et am. p. 64. C. extat *συσσωφρονεῖν σοι ἀλλ' οὐ συνοσεῖν ἔφην*. Nempe temporis injuria hujus quoque versus ultima vox deleta erat: fortasse etiam ita, ut superscriptae interpretationis *βούλομαι* quaedam vestigia resedissent, quibus ita usus est metricus, ut trimetrum rectum quidem sed satis frigidum et inelegantem restituerit. — His adde, in quibus casum tantum ultimae vocis mutasse interpolator videtur, vs. 73., ubi nostri libri dativum praebent *στολῆν*, cum codices Clementis, qui hunc versum attulit, exhibeant accusativum *στολήν*, et vs. 89., ubi cum libri ferant nominativum *κεχημέρος*, restituendus sine dubio est dativus *κεχημένοις*. —

Simile quid etiam in prologi anapaestis cernere mihi videor, ubi, cum in vs. 19. libri praebent *ζηλω*, elegantiorē scripturam eamque genuinam Stobaeus suppeditat *ἦσσαν ἐπαινώ*.⁷⁴⁾

At non solum extremæ trimetrorum partes vocesque edaci tempore adesae erant, ita ut correctoris manum postularent: immo in mediis etiam versibus satis ei erat laborandum, ut deperditos numeros Euripidi vindicaret. Singulae voces, imprimis particulae, prorsus exciderant, aliarum levia tantum vestigia remanserant, ut conjectura eas reponere metricus ille

⁷⁴⁾ Cum tamen Plutarchus eundem versum afferens tranq. an. pag. 471. C. exhibeat *ζηλω*, antiquitus jam de scriptura videtur dubitatum esse. Non nimium igitur huic loco tribuendum.

cogeretur: sic ἀδραστοῖα illud evanuisse videtur, cujus vestigia colligens interpolator scripsit quod nunc legitur ἄριστα: ἄριστα enim interpretationem seu glossam fuisse illius nunquam crediderim. Eodem modo vs. 72. evanuerat Ἀργείων, e cujus vestigiis interpolator restituit ἀνθρώπων. Similiter autem etiam in parodi vs. 268., cum ab Euripide ἀδελφός scriptum esset idque evanuisset, interpolator ille, obscurae alicujus de Adrasto famae memor, hoc nomen substituisse videtur, quem errorem vs. 272. secuta est Ἑλένας in Ἑλλάς mutatio. Aliis locis, ubi ne vestigia quidem supererant, e sententiarum nexu quae excidissent conjectavit partim satis bene, ut vs. 19., ubi Euripides dederat λείσσειν, ille ad sensum recte restituit βλέπειν, partim minus recte, ut vs. 450., ubi ὄγκον Euripidis prorsus interciderat, δῆμον reposuit sine dubio sequenti ὄγλῳ adductus.

Sed jam reliquos trimetros, in quibus corrigentis metrici operam apertius cernere nobis videmur, ipsius fabulae ordine enumeremus. — Vss. 46., 47. libri nostri exhibent scripturam σὴ γὰρ μ' ἀλόχῳ τότε Τυρδάριος πέμπει φερόντ' ἄνθημα φερόμενον τε δίκαιον. Augmenti in hoc imperfecto omissio hoc loco aperte vitiosa Elmslejum, ut πέμπει scribendum censeret, adduxit. At recte Hermannus magis etiam offendit in adjectivo δίκαιον, „quod vocabulum aut inutile est, si adjectum est ornatus causa, aut frangit vim argumenti. Nam si se dignum comitem sponsae missum esse dicit, quid ipse de se sentiat judicat, non autem, quod facere debet qui se commendare vult, quo honore dignus ab aliis habitus sit ostendit.“ Haec tam acute exposita sunt, ut non dubitem cum Hermanno scribere πέμπειν — δίκαιοι. Mutationem autem non librariorum culpa sed metrici consilio factam esse satis apparet. — Vs. 84. libri καμὲ στρατηγῶν κατὰ Μενέλιω χάριν. Κατὰ e vestigiis adverbii κατὰ inepte reposuit metricus. — 392. Libri ἢ δέ γ' ἔλπις etc. Ineptum illud γε prodit interpolatorem. Recipienda Seyfferti conjectura ἢ γε δ' ἔλπις etc. — Vs. 364. Libri ὡς φρονεῖς οὐκέτι θυγατρὸς σῆς ἔσσι μάλιστα γε. G. Dindorfius „Versus a grammatico aliquo ad explicanda verba praecedentia compositus et satis misere quidem; nam particulae ἔτι et μάλιστα γε nullum alium usum habent quam ut mensuram versus expleant.“ Quod de his particulis judicat vir doctissimus, mihi quidem quam maxime probatur. Cetera incertus sum an sint genuina. Fortasse etiam sic res se habet: invenit metricus in margine codicis sui a lectore annotatum ὡς οὐ φρονεῖς τῆς θυγατρὸς ἔσται. Jam has reliquias esse versus Euripidei ratus versum finxit et in fabulam, ut docuit Hartungus, non satis apte recepit: nam aliis quoque locis videbimus nostrum versus quosdam a nescio quibus lectoribus adscriptos in ipsam fabulam recepisse. — Vs. 416. ἦν Ἰφιγένειαν ὠνόμαζας ἐν δόμοις. Forma ὠνόμαζας valde est suspecta. Praeterea illud ἐν δόμοις sine ulla vi dictum est, et totus versus satis tenuis est argumenti. Suspicio hic quoque interpolatorem invenisse nomen Ἰφιγένειαν, a lectore aliquo praecedenti versui adscriptum, eodemque, quem supra notavimus, errore adductum plenum versum reposuisse. — Vs. 652. οὐκ οἶδ' ὅ τι φῆς, οὐκ οἶδα, φίλιται' ἐμοὶ πάτερ. Vitiosi hi anapaesti. Genuinam reposuit Hermannus scripturam οὐκ οἶδά σ', ὅ τι φῆς, φίλιται', οὐκ οἶδ', ὦ πάτερ. Omissum vel potius amissum σε causa fuit interpolationis. — Vs. 809. Libri τῆςδε στρατείας Ἑλλάδι γ' οὐκ ἄνευ θεῶν. Ineptum γε statim prodit interpolationem, etiamsi taceamus de vitioso in tertia sede anapaesto. Scribendum cum Hartungo videtur πᾶσιν. — Vs. 813. Libri μένω πὶ λεπταῖς ταῖςδ' ἢ Εὐρύπιδον πύλαις. Ineptum γε. Omnino in hoc versu laborasse metricum, ex perverso versus exitu προαῖς supra conjectavimus. Scribendum ταισίδ'. — Vs. 867. οἶσθα δῆτά γ' etc. Saepissime redit ineptum illud γε, scilicet quod facillimum fuerit metrico versuum claudicantium remedium. Hermannus recte οἶσθα δῆτά μ'. — Vs. 831. Locus mentione dignissimus, ex quo omnibus illis, qui codices nostros ad unum revocandos esse fontem nolunt credere, tamen rem ita se habere simplicissime potest persuaderi. Consentunt enim libri in hac scriptura δεινόν* τί φεύγεις; etc. Potest hoc aliquo modo ferri tuleruntque ante Valckenarium fabulae editores. Hic tandem vir summus detexit fraudem et μῦθον scribendum esse acute perspexit. Jam cum in ipso Euripidis exemplo sine dubio illud fuerit recte perscriptum, credi non potest, in omnibus ejus apographis illum errorem commissum esse: immo unum tantum codicem hoc miro errore affectum fuisse verisimile est, ex quo in omnia ejus apographa falsa scriptura manavit. — Vs. 1193. Codd. παίδων δ' ἐάν αὐτῶν προθέμενος κτάνης τινά; cf. Herm. ad hunc vs. „mihi quidem non dubitandum videtur, quin versus a metricis corruptus sit, nescientibus ἐάν ultima longa esse. Indicio est languidum τινά.“

Rectissime vir summus! Etiam, quam proposuit scripturam παιδων σ' ἐὰν αὐτὸς σὺ προθέμενος κτάνης, satis ea est probabilis. — Vs. 1207. Libri aperte vitiose: εἰ δ' εὖ λείκεται νοῦι, μὴ δήγε κτάνης. Hermannus: „dubitari prorsus non potest, quin, quod recte monuit Matthiae, metricus aliquis mutilum versum insertis vocibus νοῦι et δήγε expleverit“. Quae cum visa sint Hermanno, satis profecto mirari non possum eum non in aliis quoque locis, id quod in promptu erat, ejusdem metrici manum agnovisse. — Versus 1264. veram restituere scripturam difficile est. Tamen in ultima voce casum mutatum et μακάρων pro Ἀφροδίτη illatum esse haud improbabiler judicat Herm. — Similem ei, quam supra indicavimus ab Hartungo detectam, trimetrorum perturbationem jam Hermannus rectissime aperuit in oratione Achillis, quae legitur post versum 1421.

ἔα δὲ σῶσαι μ' Ἑλλάδ' ἣν δυνώμεθα.

Audi sodes, quae praeclare exposuit ad v. 1436.: „Haec Achillis oratio in libris sic scripta est:

ὦ λῆμ' ἄριστον, οὐκ ἔχω πρὸς ταῦτ' ἔτι
λέγειν, ἐπεὶ σοι τάδε δοκεῖ γενναῖα γὰρ
φρονεῖν: τί γὰρ τάληθές οὐκ εἴποι τις ἄν;
ὁμῶς δ' ἴσως γὰρ ⁷⁵⁾ κἂν μεταγνοίης τάδε.
ὥς οὖν ἂν εἰδῆς τὰ π' ἐμοῦ λειγεμένα,
ἐλθὼν τὰδ' ὄπλα θήσομαι βωμοῦ πέλας,
ὥς οὐκ ἐάσω σ' ἀλλὰ κολύσω θανεῖν.
χρήση δὲ καὶ σὺ τοῖς ἐμοῖς λόγοις τάχα,
ὅταν πέλας σῆς φάσγανον δέρης ἴδης.
οὐκ οὖν ἐάσω σ' ἀφροσύνη τῇ σῇ θανεῖν
ἐλθὼν δὲ σὺν ὄπλοις τοῖςδε πρὸς ναὸν θεῶν
καταδοκήσω σὴν ἐκεί παρουσίαν.

Apertum est haec non potuisse sic scribi. Bis enim eadem dicuntur: nam hoc ἴσως κἂν μεταγνοίης τάδε, idem est quod χρήση δὲ καὶ σὺ τοῖς ἐμοῖς λόγοις τάχα, ὅταν πέλας σῆς φάσγανον δέρης ἴδης; quodque illis verbis continetur, ἐλθὼν τὰδ' ὄπλα θήσομαι βωμοῦ πέλας, ὥς οὐκ ἐάσω ἀλλὰ κολύσω θανεῖν, nihil aliud est, quam quod tribus postremis versibus paene iisdem verbis dicitur. Euripidis esse, quae remanent, remotis quinque ultimis versibus ejectoque illo ὥς οὖν ἂν εἰδῆς τὰ π' ἐμοῦ λειγεμένα, vix quenquam fore puto qui dubitet: adeo apte, nitide, eleganter procedit oratio. Neque vero adeo ineptum ac stultum fuisse illum, qui hanc tragoediam interpolavit, credibile est, ut deletis, quae optime venustissimeque scripserat Euripides, alios versus, quorum plane eadem sententia esset, substituere in animum induxerit: immo alia eaque valde probabilis causa inveniri potest, cur fecerit versus illos. Nam quemadmodum supra anapaestos vss. 602. — 610. propterea addidit, quod quae paullo post Clytaemnestra dicit exigere videntur ut chorus se ad excipiendam eam paratum esse ostenderet, sic hic quoque, quum videret Achillem dicere, tamen se armatum ad aram adstiturum esse, non putabat id antea illis verbis v. 1420. εἰ μὴ σε σῶσω Λαναῖδαισι διὰ μάχης ἐλθὼν satis diserte esse dictum. Itaque illis verbis, ἄθρησον, ὁ θάνατος δεινὸν κακόν, subiecit illos sex versus, quibus Achilles quid factururus esset aperte declararet. Nam hos versus illic, non ubi nunc leguntur, eum poni voluisse tum eo intelligitur, quod sic omnia optime cohaerent, tum primus illorum versuum monstrat, in quo, si illud additamentum pro iis substituisset, quae Euripides dixerat inde ab his verbis, ὁμῶς δέ, non potuisset ὥς οὖν ἂν εἰδῆς scribere, sed scripsisset ἀλλ' ὥς ἂν εἰδῆς. Scriba vero, qui ex illo interpolatoris libro descripsit eum codicem, ex quo nostri libri fluxerunt, sex versus illos in margine adscriptos inveniens, quum nesciret quo pertinerent, inseruit eos iis, quae in eandem sententiam dicta esse videbat. Hanc annotationem, praeclarum sine dubio ingenii Hermanniani documentum, idcirco totam apposui, ut omissis, quae recte Hermanno concedi non possunt, ea, quae vere ille iudicaverit, quantopere meae sententiae faveant, ostenderem. Rectissime igitur hi versus et quam inepte collocati sint in codicibus nostris et quo

⁷⁵⁾ Codices γε pro γὰρ, inepte. Noli hoc quoque vitium tribuere metrico, quippe quod facile oriri potuerit librorum errore.

loco recte collocandi sint ille iudicavit. At cum ipse dicat, versibus hoc modo transpositis omnia optime cohaerere, id quod sine dubio verissimum est, cur tandem hos versus spurios esse suspicatur? Quidni ab Euripide ipso compositi esse possunt? — Sed transpositio horum versuum praeclare explicatur Hermanni illa de interpolatore, exodi et parodi alterius partis et aliorum nescio quorum versuum auctore, doctrina. — At haec ipsa doctrina admodum vacillat et ex singulis probanda erat, non singula ex illa explicanda. — Quid! Nonne eodem prorsus modo interpolator e genuinis Euripidis versibus 607. sqq. perversum illud effinxit canticum, quod legitur vss. 598. — 606.? — Profecto sagacissime hic Hermannus simillimam esse horum locorum rationem intellexit. At tertii etiam loci prorsus eadem est ratio. Prologi sodes considera versus 110.—114. Hi versus nonne eodem prorsus modo ficti sunt ex antecedentibus vss. 34.—48.? Est sane ita, in tribus illis locis certum quoddam cernitur artificium, quod ab uno eodemque viro debet exercitum esse. Quod igitur de uno horum locorum, idem iudicandum est de omnibus. Prologi autem illi versus Hermanno utique genuini videntur: ergo etiam de nostris, genuinos esse, iudicare debebit. Quid! quod ne de anapaestis quidem illis satis constabat viro doctissimo, interpolati essent an genuini: compares modo, quae cautissime ille in hanc sententiam disputavit praef. pagg. XXX., XXXI. Quod autem dicit Hermannus interpolatorem, cum videret Achillem dicere, tamen se armatum ad aram adstiturum esse, non putasse id antea illis verbis v. 1415. *εἰ μή σε σώσω* *Ἀναΐδαισι διὰ μάχης ἔλθῶν* satis diserte dictum esse: primum dicendum ei erat, interpolatorem, cum Iphigeniam videret dicere vs. 1420. *μὴ θνήσκε δι' ἐμὲ μηδ' ἀποκτείνης τινά*, non putasse, tale Achillis consilium antea illis verbis v. 1415. *εἰ μή σε σώσω* etc. satis manifeste expressum esse: quod si ille non sensit tam apertum, nihil omnino eum sensisse existimo. Contra nos in eo, quod Achilles admiratione et amore virginis captus certum illud eam, si ipsa velit, servandi consilium bis et iisdem quidem fere verbis pronuntiat, optime poetam, quid sibi prodesset, perspexisse arbitramur. Cum enim ita inculcetur quodammodo spectatoribus posse Iphigeniam, si velit, mortem effugere, consilium illud prorsus voluntarium et liberum et divina clementia dignum esse sentiunt. Itaque hunc locum tam genuinum esse arbitramur, ut non dubitemus idcirco etiam anapaestos illos, longe minus aptos sed eodem artificio compositos, pro genuinis habere: genuina autem nunc ea etiam dicimus, quibus minor Euripides fabulam e patris sententia perficere studebat. — Jam si verba sunt genuina, locus ille, quo hodie sunt posita, nonne aperte ostendit, id quod supra posuimus, etiam trimetrorum fuisse ingentem perturbationem: rursus autem, cum similibus illis versibus artificiose sint inclusa, nonne, data opera iis hunc locum adscriptum esse, suspicabimur? — Occasio, ut de aliis quibusdam versibus hic sententiam dicam, monet. Vss. 630. sqq. in libris sic extant

Iph. ὦ μήτηρ, ὑποδραμοῦσά γ', ὄργισθῆς δὲ μή,
πρὸς στέργα πατρὸς στέργα τὰμὰ περιβαλῶ.

Clyt. ὦ σέβας ἐμοὶ μέγιστον, Ἀγαμέμνων ἀναξ,
ἤκομεν, ἐφειμαῖς οὐκ ἀπιστοῦσαι σέθεν.

Iphig. ἐγὼ δὲ βούλομαι τὰ σὰ στέργ', ὦ πάτερ,
ὑποδραμοῦσα προεβαλεῖν διὰ χρόνον.
ποθῶ γὰρ ὄμμα δὴ σὸν ὄργισθῆς δὲ μή.

Agam. ἀλλ', ὦ τέκνον, χρεὶ φιλοπάτωρ δ' αἰεὶ ποτ' εἶ
μάλιστα παίδων τῶνδ' ὄσους ἐγὼ τέκον.

Hi versus primum in memoriam nobis revocant, quae supra de artificio illo, versuum scilicet ex aliis versibus fingendorum, disputavimus. Certe idem hic nobis occurrit artificium. Etenim etiam illud *διὰ χρόνου* et *ποθῶ γὰρ ὄμμα δὴ σὸν* compositum est e versu 640. *ὦ πάτερ ἐξεῖδόν σ' ἀσμένη πολλῶ χρόνῳ*. At multa sunt in his versibus, quae virorum doctorum mirum quantum agitarint ingenia. Primum ultimos duos versus Clytaemnestrae tribuendos esse Porsonus et Bremius recte perspexerunt: scribendi hi sine dubio ita

Clyt. ἀλλ', ὦ τέκνον, χρεὶ φιλοπάτωρ δ' αἰεὶ ποτ' εἶ
μάλιστα παίδων τῶνδ' ὄσους ἐγὼ τέκον.

Inde apparet his versibus lorum fuisse post verba Iphigeniae, quibus a matre veniam petit osculandi patris,

ᾠ μήτηρ ὑποδραμοῦσά γ', ὀργισθῆς δὲ μή,
πρὸς στέργα πατρὸς στέργα τὰμὰ προσβαλῶ.

Etenim quod libri praebent h. l. περιβαλῶ, cum infra vs. 636. vitiose exhibeant προσβαλεῖν, recte de hac re Hermannus iudicavit: „Apertum est enim librarios duo verba permutasse, quumque hic προσβαλῶ scribendum esset, περιβαλῶ, vs. 636., ubi περιβαλεῖν scribere debebant, προσβαλεῖν posuisse“. — Clytaemnestra igitur cum veniam filiae libenter dedisset, facere illam, quae petierat, oportebat idque sine dubio statim post impetratam veniam. Recens igitur poeta, ni fallor, post Clytaemnestrae illa verba uncis inclusum oratione prosa posuisset: „Iphigenia cursu accedit ad patrem eumque amplectitur“. Veterum autem poetarum longe alium fuisse morem equidem affirmaverim, siquidem omnes illi personarum suarum actiones verbis etiam indicare solebant. Luculentum hujus rei exemplum habes initio Oedipi Colonei. Caecum Oedipum in scenam ingressum considerare vult Sophocles: eloquitur igitur senex vs. 21.

κάθιζέ νῦν με καὶ φύλασσε τὸν τυφλόν.

Quid igitur hic sibi vult illud φύλασσε τὸν τυφλόν? Nempe cohortatur Oedipus Antigonom, ut se, quippe qui sit caecus, adjuvet in ipsa considendi actione: ubi recens poeta fortasse uncis inclusum addidisset: „Antigona patrem caecum ad lapidem adducit et in considendo adjuvat“. Scel haec non sufficiunt poetae veteri: ad implendum quodammodo tempus illud, quod necessarium erat huic actioni, Antigonom facit dicentem

χρόνου μὲν οὐκ οὐ μαθεῖν με δεῖ τόδε,

quibus illa verbis (τόδε potiss.) haud obscure quid hoc tempore agat indicat. — Idem cernitur in ejusdem fabulae vss. 173.—183., 197.—201. Omnes enim hi versus tum demum recte intelliguntur, si lector, cum haec dicerentur, Oedipum caecum et surrexisse et aliquot passus progressum esse et rursus consedissee animo tenet. — Sic igitur hoc quoque loco expectamus verba quaedam, quibus Iphigeniam facere, quod a matre impetravit, significetur. Huic igitur desiderio et necessitati quis non intelligit inservire illa

ἐγὼ δὲ βούλομαι τὰ σὰ στέργ', ᾠ πάτερ,
ὑποδραμοῦσα περιβαλεῖν διὰ χρόνον.
ποθῶ γὰρ ὄμμα δὴ σὸν ὀργισθῆς δὲ μή.

Libenter concedimus, haec non ita comparata esse, ut ab ipso majore Euripide scripta sic esse credibile sit: neque enim illum puto repetiturum fuisse quae ante posuerat verba, neque praecepturum quae postea dicit Iphigenia vs. 640., nec vero etiam scripturum illud ὀργισθῆς δὲ μή, quod quanquam ne hic quidem absurdum est, multo melius tamen convenit cum iis, quae superioribus versibus a matre petierat Iphigenia. Attamen minorem Euripidem, qui aliquid hoc loco desiderari, scilicet a patre nondum elaboratum, recte perspexit, cum quam celerrime fabulam perficere et in scenam committere vellet, quae proximis locis videbat dici, cupide arripuisse et his ipsis lacunam obstruxisse maxime mihi probabile videtur. Est igitur hujus loci ratio prorsus eadem atque trium illorum, quos modo tractavimus. Ordinem versuum vel turbavit vel turbatum non recte restituit corrector metricus: est autem haud dubie ita restituendus:

Iph. ᾠ μήτηρ, ὑποδραμοῦσά γ', ὀργισθῆς δὲ μή,
πρὸς στέργα πατρὸς στέργα τὰμὰ προσβαλῶ.
Clyt. ἀλλ', ᾠ τέκνον, χρῶν φιλοπάτωρ δ' αἰεὶ ποτ' εἶ
μάλιστα παίδων τῶδ' ὅσους ἐγὼ τέκνον.
Iphig. ἐγὼ δὲ βούλομαι τὰ σὰ στέργ', ᾠ πάτερ,
ὑποδραμοῦσα περιβαλεῖν διὰ χρόνον.
ποθῶ γὰρ ὄμμα δὴ σὸν ὀργισθῆς δὲ μή.
Clyt. ᾠ σέβας ἐμοὶ μέγιστον, Ἀγαμέμνων ἀναξ,
ἤκομεν, ἐφειμαῖς οὐκ ἀπιστοῦσαι σέθεν.
Iphig. ᾠ πάτερ, ἐξείδόν σ' ἀσμένη πολλῶ χρόνῳ.

Non igitur tres sed quatuor habemus locos, in quibus idem redit artificium, unde eos ab eodem poeta compositos esse coniecimus, vss. 111.—114., 598.—606., 635.—637., 1426.—1430. Omnes hi loci, imprimis primus et tertius, ita sunt comparati, ut non videantur a majore Euripide compositi esse: attamen omnes aut necessarii sunt, ut primus aut tertius, aut aptissimi ad sententiarum nexum, ut quartus. Itaque eos ab illo poeta, qui docuit fabulam, h. e. a minore Euripide cum aliqua festinatione compositos esse haud injuria suspiceris. Quodsi tres illi loci minoris sunt Euripidis, est etiam is, quem posui secundum, vss. 598.—606., quanquam hi anapaesti minus sunt apti: idem enim artificium ad eundem artificem debet referri, et versus illos nequaquam prorsus inepte positos esse Hermannus rectissime judicavit praef. pag. XXXI.: „Quodsi emendate scripti legerentur in libris hi interpolatoris anapaesti, dubitari nonnihil posset an ipsius essent Euripidis. Nam quod quis forsitan objiciat, non hemichoria post chori canticum, sed totius chori coryphaeum anapaestis loqui solere, id quidem non ejus modi est, ut non, ubi res postulare videretur, aliter institui potuerit. Atque hic quidem satis apte alterius hemichorii dux admirari regiarum mulierum splendorem et fortunam, alterius autem monere ut eos de carpento descendentes comiter exciperent puellae potuit“. —

His confectis pergamus in enumerandis iis, ubi aperta est metrici interpolatoris opera, versibus. — Vss. 1438., 1439. in nostris libris sic extant:

μήτ' οὖν γε τὸν σὸν πλόκαμον ἐκτέμης τριχός,
μήτ' ἀμφὶ σῶμα μέλανας ἀμπύσχη πέπλους.

His duobus versibus cum aperte violetur lex stichomythiae, alterumutrum ejiciendum esse viri docti censuerunt. Rectum tamen hoc loco sine dubio vidit Hartungus, utrumque quam maxime genuinum, sed inter eos Clytaemnestrae aliquem versum excidisse judicans. Obstruxit laenam interpolatoris metrici manus. — Vs. 1550. δάκρυα προῆγεν. Dictionem δάκρυα προάγειν diu mirati sunt viri docti. G. Dindorfius „videtur poeta non προῆγεν scripsisse, sed προῆγεν, quod verbum per προάγειν explicare solent glossatores“. Metricus meus non melius tenebat Graeca quam illi glossatores. — Vss. 1584., 1585. Codd.

λαμόν τ' ἐπισκοπεῖτ', ἵνα πλήξειεν ἄν.
ἐμοὶ δέ τ' ἄλγος οὐ μικρὸν εἰσῆι φρενί.

Quorum versuum de altero sententiam dixi P. I. pag. 13. ann. 38. Priorem ita emendavit Herm. ἴν' εὖ πλήξειέ νιν. — Vss. 1588., 1589. Libri

ἰδεῖν μέγιστη διαπρεπής τε τὴν θείαν
ἣς αἵματι βωμός ἐθθαίνειτ' ἄρδην τῆς θεοῦ.

Ad haec Herm.: „Vix alium quenquam διαπρεπής τὴν θείαν sic cum articulo dicturum fuisse recte monet Matthiae: estque id eo infictius, quod modo ἰδεῖν praecessit. At qui hoc dixit, non scriptor fuit horum versuum, sed corrector metricus, qui quum in codice ἣς αἵματι sequenti versui additum videret, non animadvertens errorem, simul et versum, quem mutilum esse putabat, male explevit, et corrupit eum qui sequebatur“. Satisque probabiliter Hermannus veram scripturam ita restituit:

ἰδεῖν μέγιστη διαπρεπής θ' ἣς αἵματι
ὁ βωμός ἄρδην τῆς θεῆς ἐθθαίνετο. —

In versu autem 1592. non negaverim metricum illum nescivisse rectam substantivi θυσία mensuram, quippe quem μικρὸν etiam correpta priore vitiose posuisse videamus. — Vs. 1625. Libri

καὶ χάρις χρόνιά γε τὰμὰ σοι προσφθέγματα.

Ineptum illud γε ut saepe sic hic quoque prodit interpolatorem, τὰμὰ producta esse prima, nescientem. Omisso γε omnia recte decurrunt. — Subtiliores autem trimetri tragici huic metrico prorsus ignotas fuisse leges, cum tot ejus in notioribus rebus viderimus errores, valde verisimile est: quod igitur posuit ille vs. 1586.

cum scribendum esset

φάσμ' οὐ γέ μιν δ' ὄρωμένου πίστις παρῆν,
φάσμ' οὐ γέ πίστις μιν δ' ὄρωμένου παρῆν,

et vss. 1610., 1611.

φιλοῦσιν. ἡμᾶρ γὰρ τόδε
θανοῦσαν εἶδε καὶ βλέπουσαν παῖδα σὴν,

cum scribendum esset

φιλοῦσι. παῖδα γὰρ τόδε
θανοῦσαν ἡμᾶρ καὶ βλέπουσαν εἶδε σὴν,

non sane est quod miremur. cf. Pors. Hec. praef. pag. 28.

Haec sufficiant ad defendendam nostram de metrica totius fabulae interpolatione sententiam, jamque ad investigandam antiquissimam, quae dici potest, interpolationem transeamus, quae quidem facta est a minore Euripide. Qua quidem in quaestione G. Dindorfio potissimum uti possumus duce, quippe qui in indaganda interpolatoris alicujus satis antiqui, fortasse Euripidis minoris, opera satis laudabiliter elaboraverit.

Primum igitur ad hunc minorem Euripidem sine dubio referenda est ea, quae hodie extat, prologi forma, de qua re dictum est priore hujus libelli parte (pag. 5.—7.). Nec tamen cum Boeckhio aliisque putandum est eum commotum fuisse comici irrisione: siquidem tum etiam in Bacchis vitasset hoc prologorum genus. Immo Euripides minor, quam celerrime Iphigeniam docere cupiens, quae elaborata a patre inveniebat, utcumque conjunxit, minora quaedam, quae debent attentum lectorem offendere, haud ita curans. — Maxime autem ejus manus cernitur in vss. 110.—114., unde etiam vss. 598.—606., 635.—637., 1426.—1430., qui prorsus eodem artificio e proximis majoris Euripidis versibus sunt ficti, a minore Euripide compositos esse colligimus. Ceterum in anapaestis illis 598.—606. chorus sibi sumit faciendam, quae Euripides major a famulis et ancillis Clytaemnestrae fieri voluerat. Etenim Clytaemnestrae verba vss. 615.—617.

ὑμεῖς δὲ νεάνιδες νῦν ἀγκάλαις ἐπι
δέξασθε καὶ πορεύσασθε ἔξ ὀρημάτων
καὶ μοι χερσὶς τις ἐνδοτω στήριγματα

eo modo pronuntiantur, quo vix alloqui poterat illa ignotas sibi virgines: immo ancillis haec omnia imperari apparet. Inde autem, hos anapaestos et insequentes trimetros non posse ab eodem poeta compositos esse efficitur. — Omnino Euripidi minori, qualem sibi pater finxerit chorum, non satis videtur liquidum fuisse. Cum enim, major Euripides quin ex virginibus voluerit constare chorum, non possit dubitari: minor earum conjuges commemorat parodi vs. 176. ἀμέτεροι πόσις: etenim hoc quoque recte perspexit Dindorfius, parodi versus 171.—184., 192.—302. non ab ipso Euripide sed a recentiore illo satis antiquo poeta, h. e. a minore Euripide esse compositos. cf. hujus disp. p. I. pagg. 8. 9.

Eidem deinde poetae Dindorfius assignavit cantici vss. 573.—597. Horum ante omnia vss. 590.—597., omissis, quod antistrophae jam metra respuunt, illo ἐμὴν itemque de lacuna inter verba οἱ τ' ὀλβοφόροι et τοῖς οὐκ εὐδαίμοσι cum Hermanno consentiens, ad ipsum majorem Euripidem referre non dubito: de reliquis, cum aperte corruptissima sint verba, non ausim certi quid statuere. Attamen dictio illa ὅς τᾶς Ἑλένας ἐν ἀντιποῖς βλεφάροισιν ἔρωτα δίδωσας ne mihi quidem satis Euripidea videtur. Repetitum illud ἔρις vs. 587. in memoriam revocat vs. 183., quem a minore Euripide compositum supra judicavimus. (cf. vss. 1289., 1290. Πάριον, ὅς Ἰδαῖος Ἰδαῖος ἐλέγει ἐλέγει ἐν Φρυγῶν πόλει et vss. 1315., 1316. ὦ δυστάλαν' ἐγὼ, πικρὰν, πικρὰν ἰδοῦσα δυσέλεναν.). — Eidem qui composuit vss. 590.—597. poetae Dindorfius tribuit Clytaemnestrae orationem vss. 606.—630. Qua in re, cum illos anapaestos Euripidis majoris esse statuerimus, libenter ei assentimur. Sub mira autem illa dictione πολικῶν δαμῆς ὄχω aliquam corruptelam latere suspicamur. Porro versus 627.—630. Hartungus melius quam Hermannus videtur emendasse. — In sequentibus vss. 635.—637. a minore Euripide videri additos esse supra exposuimus (cf. pag. 9.).

Eidem, „qui praecedentia carmina chori additamentis suis auxit,“ h. e. minori Euripidi assignat Dindorfius vss. 773.—800., quorum 785.—800. genuini esse videntur Hartungo, de reliquis sic judicanti: „Haec si ab Euripide profecta credam, nihil non ab eo scriptum esse concedam. Neque enim frigidiora, inaniora, vitiosiora inveniri possunt. Rursus autem ea, quae proxima strophæ continentur, praecoccupavit falsarius, immani destruendi studio quae venustissime copiosis-

simeque ab Euripide erant exposita corrumpens“. De vss. 785. — 800. sine dubio recte iudicavit Hartungus, dignissimos eos esse Euripide: antecedentes autem idem tractare argumentum, non verum est: vitia denique quod attinet, meminimus ingenti corruptela genuinam Euripidis manum prorsus oblitteratam esse. Omnino igitur hi versus non damnandi sunt sed emendandi, in qua re praeclare elaboravit Herm. — Vss. 942.—974. Ad hos Dind.: „Versus spurii, ab homine scripti *Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαχιστέρῳ*, ut verbo utar Aristophanis“. Significare his vir doctus poetam illum videtur satis antiquum, qui inchoatam Euripidis tragoediam suo modo perficere conatus est. Fateor me quoque arbitrari, orationem Achillis a majore Euripide non prorsus absolutam supra modum amplificatam esse a filio. — Nec tamen assentior ei de vss. 1017. — 1023., qui ab eodem ei loquaci poeta compositi esse videntur. — Eidem poetae tribuit D. vss. 1178. 1208. Videtur sane his minor Euripides Clytaemnestrae orationem, a patre inchoatam, amplificasse. — 1409.—1439. Horum equidem genuinos iudico 1409.—1416.: his addendi sunt, qui nunc leguntur 1426.—1430.: deinde vss. 1417.—1421. Vss. 1422.—1425. et 1431.—1433. minor Euripides videtur composuisse. cf. hujus disp. pagg. 7. 8.

Quae disputavit Dindorfius de vss. 528.—542., 1266.—1275. possum omittere: aperte enim sunt falsa. Quod autem uterque Dindorfius vss. 414.—441. spurios esse iudicavit, id et ab Hermanno recte refutatum est et ab Hartungo utique negatur: tota enim de scena illa verissimum ejus hoc est iudicium: „tantum enim abest, ut falsarii operam universus orationis habitus prodere mihi videatur, ut illam vel praecipuo huic fabulae ornamento esse putem; quae autem vel corrupta vel spuria ei insunt, facile negotio removeri possunt.“

Omnino ex his de Euripidis minoris in hac tragoedia opera sic est iudicandum, eum satis festinanter et passim etiam parum considerate quae a patre inchoata erant explevisse. Quin semel etiam, ubi nihil prorsus desiderabatur, nescio quibus causis adductus suo labore opus esse temere arbitratus est, vss. 508.—607. Interdum autem, velut vss. 1422., tam bene et apte interpolavit, ut vix celeberrimus Euripides meliora et aptiora scribere potuisset.

Inter antiquissimam illam minoris Euripidis et novissimam metrici correctoris interpolationem medium quendam tenet locum ea, quam antiquam appello, interpolatio. Fieri enim non poterat quin ex multis illis fabulae pulcherrimae lectoribus nonnulli quaedam adscriberent, quae aut interpretandis Euripidis versibus servirent aut similis utpote argumenti ex aliis scriptoribus sibi in mentem venissent. Haec autem metricus ille Euripidis esse arbitratus in versuum ordinem recepit. Jam vero quoniam metrici manus multa oblitteravit, difficile est certo de his interpolationibus iudicare. Huc tamen referendi videntur vss. 83., 93., 368., 369., 375., 416., 508.—510., 520., 521., 920.—923., 1126., 1545., 1568., 1569., 1571., 1606., quorum nonnulli etiam ab histrionibus ornandae orationis causa videntur additi esse.

Huc autem quum perventum sit, finem nunc imponamus huic quaestioni, in qua tractanda profiteor me secutum esse Hartungi illud: „Quamobrem ingressus sum eam sanandi viam, quam in eadem fabula edenda Hermannus probavit, non quo mihi, tanquam eodem ingenii acumine praedito eademque eruditione instructo, idem licere arbitrarer, sed quia hanc solam rationem veram esse mihi persuasi. Aut enim plane recedendum ab emendandi Euripidis studio, aut liberiore iudicio in hoc negotio utendum esse, res ipsa mihi docere videtur“. — Ea vero, quae his paginis exposui de fati potissimum fabulae, quum careant disertis veterum testimoniis, ipse bene intelligo quam parum possint pro exploratis haberi. Ut autem Socrates descriptis defunctorum iudiciis et domiciliis pergat: *τὸ μὲν οὖν ταῦτα διςχυροῦσθαι οὕτως ἔχειν, ὡς ἐγὼ διελήλυθα, οὐ πρόκειται νοῦν ἔχοντι ἀνδρὶ ὅτι μέντοι ἢ ταῦτ' ἐστὶν ἢ τοιαῦτ' ἅπαντα, . . . τοῦτο καὶ πρόκειται μοι δοκεῖ καὶ ἄξιον εἶναι κινδυνεύσαι οἰομένῳ οὕτως ἔχειν*: sic ego quoque, si lectoribus meis, Iphigeniae Aulidensis aut haec aut similia fuisse fata persuasero, libenter acquiescam: tum enim in interpretanda hac fabula corrupta malent agnoscere quam Euripidi imputare aut linguae Graecae ea, quae aliena sunt a poetae hujus et linguae elegantia et perfectione.

Addenda et corrigenda.

P. I, pag. 3, ann. 2. l. 3. pro erasse legendum errasse. Eidem annotationi addendum, cf. Kirchhoff. ed. vol. II. pag. 467.: „Nam schol. Aristophanis Rann. v. 1310. non suo, sed librariorum errore ex Aulidensi repetere videtur, quae Tauricam spectare Iphigeniam monuit Berglerus“.

P. I. pag. 6. l. 10. pro 1.—40. et 113.—164. leg. 1.—48. et 115.—164.

Eadem pagina textus ultima linea post verba *Κάλχας, Ὀδυσσεύς, Μενελάως θ'*. — excidit comma.

P. I. pag. 8. l. 28. pro *Ἀφροδίτας* leg. *Ἀρεθούσας*.

P. I. pag. 9. textus ultima linea numerus III. mutandus est in 171.

P. I. pag. 12. l. 29. post dativum scholiastae delendum est comma.

Eadem pagina annotationi 33. addendum est: et ed. pagg. 279. sqq. (exc. VI.)

P. I. pag. 13. annotationi 39. addendum est: Defenditur haec Agamemnonis oratio a Firnhabero ed. pagg. 289., 290.

P. I. pag. 17. l. 1. pro *τιν* leg. *την*.

Eadem pagina textus ultima linea pro parum pervellet leg. parumper vellet.

P. I. pag. 19. l. 23. pro interpolationem leg. interpretationem.